



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Hieronymi Dandini Cæsenatis E Societate Iesv De Corpore
Animato Lib. VII.**

Dandini, Girolamo

Parisiis, 1611

Facultatum Animæ in viuentia omnia Distributio, cap. 11.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95641](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95641)

nem appellat: quæ voces non phantasiæ, sed intellectus sunt: Propositio verò, quæ de re agenda est, siue vniuersa sit, siue in parte, practica nimirum est & intellectus practici. Atque vt in theoreticis, sic in practicis, generalia sunt principia velut rerum agendarum regula à prudentia constituta, quæ practica virtus est tota & practici intellectus. Ac demum ille ipse intellectus, qui ratiocinatur, tum propositiones, tum terminos complicat, ex quibus ratiocinatio constat.

Appositè magis hæc obseruat circa verba. Primum: vbi dicitur (talem tale agere) propositionem vniuersam indicari: quoniam, vt ex lib. categoriarum constat, tale Aristoteli consuevit vniuersale significare: vt Philosophum omnem honorandum esse. Vbi verò addit (hoc tale & Ego talis) propositionem particularem: & hoc quidem (& Ego subiectum singulare indicare: tale verò & talis) attributum vniuersale: quod ex propositione vniuersa acceptum de subiecto illo affirmatur.

Deinde sequentibus verbis principio totum motum particulari propositioni tribuere tamquam manifestius mouendi: moxque quasi re melius considerata emendare sermonem & vtrique propositioni concedere. Quod propterea libuit adnotare: quia secus omnino Themistius ac Philoponus interpretati sunt: qui priora verba (hæc mouet opinio, non quæ rei vniuersæ) non asserendo, sed dubitando & quasi interrogando legentes, responderi voluerunt vtramque mouere, sed magis eam, quæ particularis est. Priorem tamen sententiam indicare magis videtur græca lectio: aut motum esse propositionis particularis: aut certè magis, quam vniuersalis.

Tum verò non sine causa non absolutè fuit pronuntiatum propositionem vniuersam mouere vt quiescentem: sed vt quiescentem magis: quoniam cum particulari coniuncta, quæ mutatur, simul cum ipsa quoquo modo mutatur. Nam per se quidem immutabilis & perpetua est illa, quæ Philosophum omnem honorandum esse ait: at quæ Socratem aut Platonem aliumue hominem accipit: hæc iam mutatur, dum aliud atque aliud subiectum accipit, & alium atque alium hominem dicit esse philosophum. Quare dum mutabilis quoque conclusio, alium atque alium hominem honorandum esse, ex vtraque propositione colligitur: illa quoque vniuersalis per se immutabilis quoquo modo mutabilis fit. Sanè propositiones vbique tales sunt, qualia sunt ea, ex quibus constant, quare cum omnis mutatio & motus particularium rerum per se fit, propositiones particulares per se mutabiles sunt. Vniuersæ naturæ per se sunt immutabiles, ex accidenti mutabiles, vt in singulis rebus existunt: ideo propositiones item vniuersæ per se immutabiles sunt quoquo modo mutabiles, vt cum particularibus complicantur.

Summaria conclusio de anima suum motum causat.

Neque de animalium motu plura Philosophus hoc loco disputat. Constituit autem primariam motus efficientem causam appetitum esse, siue sentientem, siue rationalem: at sine cognitione non mouere. Cognitionem verò aut phantasiæ esse, aut intellectus: intellectus inquam practici, quia actionem respiciat. Ac phantasiæ quidem

A cognitionem simplici constare obiecti propositione: qualis sensui sentientique virtuti potest inesse: ac intellectu in ratiocinationem ac deliberationem adhibere duplici propositione constantem: vna vniuersali, quæ cum tribuit ratiocinationi, altera particulari quæ vniuersalem contrahat. Vnde conclusio sequitur particulari similis, quæ rem agendam continet.

Motricè virtutis origo in corde.

Motricè potro virtutem in corde principatam habere, non in cerebro: quod in superioribus non semel accepimus: ex his petendum erit, quæ antè de organico corpore disputata fuerit. Vnde etiam ferè intelliges, an per spiritum, an per nervos à principe membro per vniuersum corpus diffundatur. Nam etsi Avicenna in i. fen. 1. fundam.

Vi ea per corpus fundatur.

B Canonis doct. 6. cap. 4. & in 5. de anima cap. 8. diffundi voluerit per spiritum, tum quia is per nervos distribuitur: tum quia is proprium est animæ instrumentum: tum quia sunt qui sanis partibus omnibus ac nervis priuantur motu solius spiritus defectu. Rationi tamen magis consentaneum est id, quod Galeno quoque placuisse plurimis in locis video, eam per nervos potissimè deferri. Nam phrenetici paulò ante mortem magnam vim habent mouendi: quitamen exiguo & imbecillo sunt spiritu. Et nervo ligato tollitur motus, etiamsi spiritus & calor remaneant. Adde neruum animatam esse corporis partem, spiritum autem inanimatum: quare etsi hic quoque necessarius sit, nec sine illo possit esse motus: nervus tamen mouendi præcipuum instrumentum iudicatur.

FACULTATVM ANIMÆ IN VIENTIA OMNIA DISTRIBUTIO. CAP. II.

TEXTVS.

D *Ἡ δὲ ψυχὴ διὰ τὴν ἐπιθυμίαν ἀναγκαστὴν πρὸς τὸ ἐκείνην, ὅτι μὴ αἰετῶς, ἀλλὰ ἀναγκαστὴν ἐστὶν, ἀπὸ τῆς φύσεως, ὡς καὶ ὁ θεὸς αἰετῶς πρὸς τὸ ἡδονικὸν ἀναγκαστὴν ἐστὶν, καὶ ἀναγκαστὴν πρὸς τὸ πόνον. ταῦτα δὲ αἰετῶς πρὸς τὸ ἐκείνην ἀδύνατον. ἀναγκαστὴν δὲ αἰετῶς πρὸς τὴν ἐπιθυμίαν δὲ ἀναγκαστὴν ἐστὶν τὸ αἰετῶς πρὸς τὸ ἐκείνην, καὶ ὁ θεὸς αἰετῶς πρὸς τὸ ἡδονικὸν ἀναγκαστὴν ἐστὶν τὸ αἰετῶς πρὸς τὸ πόνον.*

Text. 191

Altricem igitur animam necesse habere euacta, quot viuunt & animam habent, ab ortu ad interitum usque. Necesse enim quod genitum est, incrementum habere, & vigorem & decrementum. Hæc autem absque alimento habere impossibile. Necesse igitur altricem inesse virtutem in omnibus, quæ oriuntur & occidunt.

COMMENTARIVS CLXVIII.

P

ostquam de animalium motu dictum est: putat nunc Philoponus videntia, quæ mouentur, ab immobilibus distinguere Aristotelem voluisse. Quædam enim immobilia penitus sunt, vt plantæ: alia mouentur ex parte, alia ex vno loco in alium transeunt tota. Et rursum quæ ex parte, quædam sunt sublunaria, vt plantanimalia: alia superlunaria, vt cælestia. Sed neque in his vlla est plantarum aut plantanimorum mentio, nulla immobilium, nulla motus ex parte;

nulla cœlestium animalium: Vt mitam constantem interpretum sententiam, in toto hoc opere de mortalibus dumtaxat viuentibus, eorūque animabus agi.

Scopum omnino Simplicius attingit: post absolutam animæ omniumque illius partium ac facultatum considerationem, duo profus adiungi. Alterum de organico corpore. Quippe in tex. 53. lib. 1. reprehenderit ceteros, quod tractantes de anima nihil dixissent de corpore ad illam suscipiendam idoneo. Alterum, quænam animæ partes ac facultates in quibus viuentibus reperiuntur, quoque modo vna superueniat alteri, atque omnino cunctæ sint distributæ. Quamquam illud fortasse minus probandum fuerit, primariam intentionem esse agere de organico corpore, atque ostendere vegetantis animæ organum simplicius esse, quàm organum cæterarum animarum. Nam quid opus erat id probare? Sensu ipso compertum satis erat & manifestum. Et verò in promptu ratio. Quoniam si simplicissima omnium & prima est vegetans anima, corpus quoque illius futurum organum, consequens est simplicissimum omnium paucioribusque instructum organis esse: quia paucioribus hæc anima facultatibus pollet.

Ergo vel ipsam orationis initium, in quo particula (igitur) continetur, satis ostendit velut generalem superiorum omnium conclusionem hanc esse: in qua facultates animæ omnes hæcenus explicatas summam colligeris viuentibus omnibus distribuit, quòque in singulis habeant modo disponit. Et quoniam corpus est propter animam, velut illius subiectum & instrumentum; simul etiam corporum dispositionem ac distributionem facit. Neque Auerroem audio, demonstrari aientem quænam eorum animæ virtutum in animalibus insint propter necessitatem, & quæ propter melius. Nam etsi principio statim necessitatis fiat mentio: illa ipsa tamen ad distributionem spectat, qua quædam sunt omnibus necessaria; nec animalibus modo, sed omnino viuentibus: aliæ non omnibus, sed quibusdam; hoc est animalibus sensus, homini intellectus. Nam si animal per sensum & homo per intellectum sunt id, quod sunt, illud animal, hic homo; profectò non sunt propter melius; sed omnes necessariae sunt, at non omnibus, sed quædam omnibus, aliæ certo viuentium generi.

Porro in his, quæ dicuntur, mirandum non erit, si pleraque fuerint in superioribus tradita atque ex illis repetantur. Est enim hæc conclusio & velut omnium dictorum epilogus. Primum igitur omnibus illis, quæ quocumque modo participes vitæ sunt & animæ, altricem ac vegetatricem animam necessariam esse quamdiu viuunt, ab ortu inquam ad occasum, accipiunt. Et in tex. 14. lib. 2. Viuunt, inquit, semper quousque possunt accipere alimentum. Et tex. 47. Conseruat alimentum substantiam; & eousque est, quousque alitur. Probatio est hæc. Quod gignitur, incrementum, & vigorem, & decrementum habere necesse est: at hæc absque alimento non sunt: altricem igitur virtutem inesse illi oportet.

Propositio propterea est vera, quoniam viuentia omnia, siue plantæ sint, siue animalia, in pri-

mo sui ortu imbecilla sunt, minusque perfecta habent corporis organa, quàm vt suæ naturæ congruenter operari queant; grandioraque fieri, & ad perfectionem adduci ea oportet. Caloris hæc, velut singularis animæ instrumenti, operatio est; qui accedens alimentum in viuentium substantiam mutat, alioqui breuissimo tempore ab hostilibus causis consumpta perirent. At calor agendo patitur atque imbecillior fit. Quare principio quidem plus reponit, quàm detractum fuerit; deinde vix tantundem; postremo etiam minus. Ita primum augentur corpora & perficiuntur; deinde in suo vigore perfectioneque conseruantur aliquandiu, aut certe sensu iudice non minuuntur; tandem minuuntur & deficiunt, præsertim cum in prima ætate hominiora sint corpora, magisque apta vt extendantur & crescant; tum vero in dies magis siccantur.

Hinc verò manifesta assumptio est. Quippe ex alimento sumpto nutritioneque in eorum substantiam, modo copiosiori, modo æquali, modo minori mutato, vniuersum hoc opus absolvitur. Verùm de his alibi pluribus diximus.

In verbis duo adnotabo. Alterum est: Aristot. non solum dixisse altricem animam cunctis necessariam esse, quæ viuunt, sed etiam addidisse (Et enim animam habent, vidit substantias separatas, Deum ac mentes cæteras viuere, immo optimam ac felicissimam vitam viuere, vt in tex. 100. lib. 1. de cœlo, & tex. 39. lib. 12. Metaph. & cap. 8. lib. 10. ad Nicom. ipsemet loquitur: nec tamen altricem habent animam; quod non per animam, sed seipsis viuant. Alterum verò, Augustinum Niphum existimasse Themistium atque Auerroem non nisi accretionem & decretionem agnouisse, vigorem & consistentiam non item. Certè quidquid sit de Auerro, qui sanè hoc loco ita sensisse videtur. Themistium fidelissimum paraphrastem ab Aristotele, qui *ἀκίνητος* hoc est, constantem ætatem addit, credendum non est discessisse.

Niphoque imposuit Hermolaus, qui vocem illam (*ἀκίνητος*) Latine non reddidit. Sed & apud Timæum Locrum in libello de Natura ita scriptum reperies. Si plus irrigatur, quàm defluat, incrementum dicitur: si verò minus, imminutio; vigor autem in horum confinio consistit, & in defluxionis atque influxionis æqualitate intelligitur. Et apud Platonem in 5. de Repub. An non etiam tibi videtur oportunum tempus *ἀκίνητος*, id est vigoris, vigesimus annus mulieri, viro autem trigessimus. Et rursum: Vir postquam acutissimum ætatis *ἀκίνητος* transierit. Sed & apud Medicos scitum est illud Hippocratis in 1. Aphorismorum: Senes facillimè ieiunium ferunt; secundo loco qui ætatem consistentem habent; minus adolentes; omnium minimè pueri. Quo loco Thucydidem quoque consistentem ætatem cognouisse Galenus adnotat. Et in 1. de sanitate tuenda libro cap. 2. hic ipse Galenus, In lucem, inquit, editum & magnitudine perficit & tum leuius tum valētius seipso efficitur, donec ad summum incrementum (*ἀκίνητος* græci vocant) sit peruentum: tum verò & incrementum omne fistitur, &c. ex quibus omnibus satis intelligas gratissimos quosq. inter veteres, tum Philosophos, tum medicos, tres in partes ab Aristotele nunc

Altricem animam viuentibus omnibus inesse.

Consistens ieiunium.

commemoratas viuentium vitam fuisse partitos, in incrementum, vigorem seu consentientiam, & decrementum: quatum principium sit ortus, & finis interitus.

TEXTVS.

Αἰσθησις δὲ ἐν ἀνθρώποις ἐν ἀπασί τοῖς ζῴοις, ἕτερά δὲ ἐν τοῖς πῦμα ἀπλῶς, ἀπλῶς ἐνδεχόμενοι ὄντων, ἕτερά δὲ ἐν τοῖς οἰστέροις ἐν τοῖς ζῴοις, ἕτερά δὲ ἐν τοῖς ἀπλῶς ἐνδεχόμενοι ὄντων.

Sensum autem non necesse in viuentibus omnibus. Neque enim ea, quorum corpus simplex, tactum contingit habere: neque sine his possibile illam esse animal. Neque vero quacumque non susceptiua formarum sine materia.

COMMENTARIUS CLXIX.

Secundo loco de sensu dicit. Quod si Philo-
Sponus ad plantarum quoque & animalium
differentiam referat, nihil morabor: modò id
secundaria quasi intentione sit; neque de gressili-
bus solum, sed de vniuerso animalium loquatur
genere. Dùm enim nutritrix virtus solitaria inest in
plantis absque sensu, in animalibus autem cun-
ctis adest & sensus; ne sensu hæc ab illis differunt.
Eandem sententiam exposuit in tex. vlt. lib. pri-
mi, & tex. 15. & 16. lib. secundi vegetationem in
viuentibus omnibus, inesse, sed solitariam in plan-
tis, in animalibus cum sensu: & vegetationem
quidem à sensu separatam esse posse, at sensum
absque vegetatione non esse. Hoc ipsum nunc
repetit: & cum altrecem dixisset animam necessa-
riam viuentibus omnibus esse, sensum subiungit
necessarium omnibus non esse.

*Plantis
non inesse
sensum.*

Priorem sententiam vnicò argumento proba-
uit; posteriore confirmat duplici; plantis in-
quam non inesse sensum. Alterum ex parte cor-
poris petitur, alterum ex parte animæ. Corpus
quippe plantarum est velut simplex: & anima
suscipere non potest formas sine materia. Sic igitur
ratiocinatur. Sensuum omnium primus est
tactus; qui à cæteris quidem separatus esse po-
test (cum tactu autem & gustatum intelligas, qui
tactus quidam est, & velut alimenti sensus omni-
bus necessarius) at cæteri sine illo non sunt. Ver-
ùm in mediocritate quadam ac temperatione
versatur tactus, vt in tex. 118. lib. secundi po-
situm est: corpus igitur simplex sensum tactus ha-
bere nequit. Plantarum corpora etsi ex elemen-
tis quatuor permixta sunt, tãtopere tamen abun-
dant terra, vt terrea prorsus & velut simplex ter-
ra videantur esse: quod elementum, vt ait The-
mistius, minimè aptum est ad sentiendum & in
tex. 6. libri secundi iam dixerat plantas habere
organa magis simplicia. Non igitur tactum, &
ideo nec sensum illum, habent plantæ.

Ex parte verò animæ hæc ducitur ratiocinatio.
Sensus est virtus sensilium formarum susceptrix
sine materia, vt in tex. 121. libri secundi defini-
tum est: plantarum anima susceptrix non est; sen-

su igitur prædita non est. Et quoniam ratiocina-
tionem vtramque in textus 124. eiusdem libri
proposuit; quæ in illius loci Commentario scri-
psimus, huius quoque interpretationem dabunt:
neque diutius immorandum fuerit.

Cæterum quod Philoponus ait, duplicem esse
primorum verborum sententiam: alteram, ἐν
ἀπασί τοῖς ζῴοις, in omnibus animalibus: alteram,
ἐν ἀπασί τοῖς οἰστέροις, in omnibus viuentibus: vix
credendum est, nisi corruptus sit & mendosus
codex. Quippe falsa omnino & quæ pugnantia
contineat propositio esset, in animalibus omni-
bus necessarium non esse sensum, si animal sensum
primum constituitur & est animal, hocque à
planta distinguitur. Sed nec Aristotelem putan-
dum est paucissimis verbis pugnantia fuisse lo-
quutum. Statim enim dicit; Animal autem sen-
sum habere necesse est. Neque videtur verisimi-
le ζῴοις pro οἰστέροις, animalibus pro viuentibus, di-
ctum fuisse. Nam quæ impropria atque abuten-
tis loquutionis necessitas? Imperiti potius atque
oscitantis scriptoris fuerit error, si modò quis
fuerit.

Quidpiam habet Simplicius magis animad-
uerfione dignum. Veretur namque, ne in his
Philosophus id accipiat, quod in quæstione ver-
fatur. Etenim viuentibus omnibus tactus saltem
& gustatus sensum quispiam necessariū esse con-
tendat: vt dignoscere possint quanam suæ natu-
ræ opportuna, quæue contraria sint & noxia.
Quòdque ad priorem argumētationem attinet,
animalium item corpora abundant terra, nec
propterea priuantur sensu, aut mediocritatē non
habere dicuntur, aut simplicia esse; quod ele-
mentorum omnium æquales non continent
partes. Cur igitur plantæ elementorum item per-
missionem constantes obscuriorem aliquem, & vt
loquebatur Plato, quasi dormientem sensum non
habeant? Obscuriorem inquam, propter abun-
dantiam terræ difficilēque paribilitatem. Nam
cum duriore ac magis terrestri consent corpore,
acutiore ad noxia declinanda sensu non indigēt.
Ita Philosophum conficit non omnem illis, sed
acutiorem & quasi vigilantem negasse sensum;
qui in animalibus inest, cuiusque comparatione
eum, qui continetur in plantis, non sensum, sed
priuationem & carentiam sensus appeller.

*Aliquem
placuisse
esse sensum,
Simplicij
opinio.*

Quod autem ad posteriorem spectat, secus
omnino, quàm interpretes cæteri, interpreta-
tur locum cum Simplicius. Primum enim nega-
tione ait affirmationem significari: vt ex affirma-
tione mox cognoscatur negatio: Quæque reci-
pere possunt formas sine materia, cælestia esse
animalia, quæ non aduentitias, atque à materia
& obiectis externis impressas in organa, sed in-
trinsecus excitas formas suscipiunt; neque sen-
tiendo, sed meliori modo. Caduca igitur & mor-
talia hæc animalia, quæ sub luna viuunt, formas
non sine materia recipiunt; quoniam ab exteriori-
bus obiectis eas accipiunt. Ita Philosophi ar-
gumentationem alio conuertit. Non ad proban-
dum plantas carere sensu, sed ad ostendendum
caducis omnibus & sublunariis animalibus nec-
cessarium esse tactum; non item cælestibus ac per-
petuis. Vt duplex reddatur causa, cur animalia
mortalia tactum habeant: Altera; quia sine hoc
cæteri non consistant sensus: Altera; quia cum

Vnum est, quod interpretibus hisce obijciam. A Etenim probationem, quam vniuersam & animalibus cunctis communem esse oportuit, illi faciunt in parte: & cum generalem Philosophus conclusionem posuerit. (Animal autem necessarium est habere sensum) de solis gressilibus probationem illi subiiciunt. Nam quæ sequuntur verba (Stabilibus enim hoc adest, vbi nata sunt) de plantis intelligunt: quæ licet immobiles sensuq; carentes, non frustantur fine: quoniam præsens habent alimentum eo ipso in loco, vbi nascuntur.

Duobus igitur modis expono. Primum est gressile corpus nominet, quod in hoc optimo & perfectissimo animalium genere manifestior sit & perfectior sensus, generalem tamen probationem hanc esse. Si animalia careret sensu, vel etiam gustatu & tactu, quibus alimenta discernuntur: planè non nutriuntur: Frustra igitur essent: quia non consequerentur finem, hoc est, conseruationem sui; quæ bonum illud est, quod omnia velut finem quærent. Aut cum imperfecta nascantur, ad perfectionem perducere non possent, quæ vt paulo ante dicebatur, nutritione acquirunt, & quasi finis illius est. Ita posteriora illa verba. (Stabilibus enim hoc adest, vbi nata sunt) de plantis, Themistio ac Philopono, aut de plantis & affixis animalibus, quæ de loco ad locum non transeunt, Simplicio licebit accipere.

Sed alteram interpretationem magis probō: qua posteriora hæc non de plantis, sed de illo animalium genere, quod non graditur, accipienda propono. Sic enim ex proximè sequenti textu intelligitur. Propterea quæ *μόνιμα*, non imobilia interpretor (hoc enim plantarum est) sed stabilia: qualia sunt hæc animalia, quæ de loco ad locum non mouentur. Namque *μόνιμα* ijs opponit, quæ *περὶ κινήσει* dixerat; stabilia inquam animalia gressilibus. Quare generalis quidem, sed bipartita probatio fuerit. Animalibus cunctis necessarius est sensus; quoniam gressilia quidem remotum quærente alimentum debent atq; hanc ob causam corpus habent ad ingrediendū aptum: at si absq; cognitione mouerentur, frustra moueretur; quia finem motus non cōsequerentur, propter quem gressile corpus acceperunt, neque ad optatum alimentum pertingerent, sed huc atque illuc errabunda; nec ad constitutum terminum mouerentur, quare inopia alimenti consumerentur & perirent; nec attingerent finem, hoc est, τὸ σωτηριώδες, id, quod ea conseruare potest.

Arbitror etiam non sine causa instrumenti mentionem fuisse factam, dum gressile corpus dixit. Sed vt duplicem causam significaret, cur frustra mouerentur: alteram ex parte motus, qui terminum non attingeret: alteram ex parte instrumenti, quod optatum naturæ vsum non consequeretur. Quæ verò nec gradiendi virtutem nec gressile corpus habent, sed stabilia semper in eodem loco sunt; obuium ibi habent alimentum: sed nisi sensum illius haberent, quo ab alienis illud dignoscerent; ad illud non se expandent neque ad se allicerent.

Animalia gressilia non gressilibus prædita sunt: quod certius magisq; acutè sentiant: quod non tangentium modo, sed & remotorum

atque distantium rerum habeant sensum. De *flor.* quo sensu loquutus videtur Themistius, vbi sensum dixit necessarium animalibus esse, quamuis non omnibus simpliciter; verum illis duntaxat, quæ incedunt. Alioquin non constabit sententia: si animal sensu primum constituitur & animal est.

Denique Philosophum adnotabis triplicem rerum fecisse ordinem, tum in 2. Physic. lib. tum hoc loco. Quædam sunt vt finis, & id cuius gratia: quædam illius gratia: quædam demum *συμπελάουσα* & velut consequentia accidentia ijs, quæ illius gratia fiunt.

Entium simplex ordo.

TEXTVS.

Οὐχ οἴονται δὲ σῶμα ἔχειν αἰσθητὴν καὶ νῦν ἀρρηκτοῦ, ἀδύνατον δὲ μὴ ἔχειν, καὶ μόνιμον ὄν, περιπατητῶν δὲ, ἀλλὰ μὴν καὶ τῶν ἀκινήτων. διὰ τὴν γὰρ ἐκ τῆς φύσεως βέλτοισι, ἢ τῶν σῶματι. νῦν δὲ ἀρρηκτοῦ. ἢ αἰσθητῶν καὶ μόνιμον νοήσει, τὸ δὲ ἐδὴ ἔχει μόνιμον δὲ ἐνεῖο. οὐδὲν ἀπὸ τῆς φύσεως σῶμα καὶ μόνιμον ἀπὸ ἀδύνατος.

At non possibile corpus habere quidem animam, intellectumque discernentem, sensum verò non habere; non stabile existens, gentium autem. Caterum neque ingentium. Cur enim non habeat? Nam aut anima melius, aut corpori: nunc autem neutrum. Etenim illa haud magis intelliget; hoc verò nihil magis erit præterea.

Nullum igitur animal habet corpus non stabile sine sensu.

COMMENTARIUS CLXXI.

Gressilia putat Philoponus à cælestibus distingui, quod illa vegetantem ac sentientem habeant animam, hæc intelligentē solam. Quam ob causam digreditur pluribus vtrinque & pro Peripateticis & pro Platonis disputans, an in cælestibus in sit sensus. In quibus immorandum nunc non est, vbi de mortalium agitur animabus; de quæ cælestibus quid sentiendum sit in superioribus satis significatum est. Difficultatem autem pariunt illa verba. Caterum neque ingentium. Quibus non solum Philoponus, sed & Alexander, & Plutarchus, & Themistius & Simplicius, cælestia credunt significari. Et rursum illa cur enim non habeat? Quæ absque negatione legit Alexander; & cum negatione Plutarchus. Quare in cælestibus negauit alter, alter affirmauit, Aristotelem posuisse sensum. Sed Alexandrum potius sequuti sunt Themistius, Philoponus, ac Simplicius. Arbitratur autem Simplicius in toto hoc orationis contextu dubitationem exponi diluque obiectionem. Superiori namque demonstratione, qua sensum gressilibus animalibus ad salutem & conseruationem necessarium esse probauit Philosophus, vt ad finem possent peruenire. Respondisset quispiam, intellectum quoque cognoscentem ac discernentem virtutem esse, illumque absque sensu satis esse possibile: cur igitur ea, quæ præstantiorem hanc cognitionem habent, ea sola contenta non sunt, sed sen-

DDDD

sum etiam postulant? Eadem fuit sancte Thomae sententia. Verum extortam nimis & violentam interpretationem facit, quam propterea praetermittam.

Ego absolutam potius interpretor orationem esse; quae quartam contineat propositionem ad intellectum pertinentem. Postquam enim de vegetatione ac sensu dixisset, de intellectu quoque dicendum fuit. Propositio est; Ea pars animae, quae ratiocinatur & intelligit, absque sensu esse non potest; nullumque prorsus est animal, quod intelligat, & sensu non sit praeditum. Quae superioribus sapienter adiungitur: vegetatio viventibus omnibus necessaria est, in quibusdam coniuncta cum sensu, in alijs absque sensu: sensus item animalibus inest cunctis, in plerisque ab intellectu separatus, in alijs cum intellectu coniunctus: at intellectus in nullo animalium genere potest absque sensu esse. Quam interpretationem dabit tibi tex. 31. & 32. lib. 2. ex quo loco haec videntur reperta fuisse. Sed quod ibi absque probatione accipitur, adiunctam nunc demonstrationem habet. Quodque ibi dicitur secundum locum mouens, hic non stabile appellatur: quod ibi *φθαρτόν*, id est mortale, hic *αθάνατον*, hoc est genitum: quod ibi *λογιστικός* & *διανοητικός*, hic *ἄνευ κινήσεως*. Quare si quaerant Philoponus & Simplicius, cur non dixerit intellectum simpliciter, sed intellectum discernentem: non respondebo cum illorum altero, ne à plantis videretur animalia discernere, sed rationalia animalia à plantis. Etenim nec *κίνησις* plantam significat, sed affixum & stabile animal: quod non mouetur loco, gressili-que opponitur: quidquid Alexander etiam & Simplicius dicant. Nec rationalia animalia distinguunt à plantis, sed à stabilibus gressilia atque ab irrationalibus rationalia: quod haec intellectu & sensu, illa solo sensu praedita sunt. Neque eum altero, ut theoreticum indicaret intellectum, ad practici distinctionem. Quorsum id enim: Cum praeter ipsum consentiente uterque indigeat sensu, vel etiam theoreticus in ipso regenerationis principio deincepsque in contemplatione sensuum. Imo verò cum de animalium incessu & motu sit sermo, practicus potius indicandus erat: quem antea motus principium posuit. *Κεκομημένων* igitur adiecit, ut non intellectum simpliciter aut separatim significaret: sed eum qui in animalibus existens ratiocinatione utitur.

Vnde intelligas, nihil hic de caelestibus intelligentijs dici: neque ingenti voce significare caelestia. Sed illam interpretabitur text. 29. lib. 2. ubi cum perinde, atque hoc loco, animae facultates animalibus distribueret, quibusdam inquit praeter haec inest *διανοητικὸν καὶ νῆς*, ut hominibus & si quid huiusmodi est, aut etiam honorabilius: Quod enim ibi dixit homine melius & honorabilius, hic ingentium aut animal tamen, quod ratiocinatione utatur. Omnis quippe ratiocinatio ex sensibus colligit: caelestes autem intelligentiae intelligunt quidem, at non ratiocinantur. Quemadmodum igitur si quid dixit aliud huiusmodi, est aut etiam honorabilius. Hoc est, si quae aliae fortasse sint ignotae nobis animalium species praeter hominem, quae ratione utantur & intellectu viuunt: ita nunc ait, siue genitum animal sit, qualis est homo; siue ingentium aliud nobis

non dum notum, certe nullum fuerit, quod careat sensu, si ratione potiatum.

Tam quae sequitur probatio, non eodem modo ab interpretibus accipitur. Qui enim ingentium interpretati sunt caelum, aut illud sensus experts esse volunt, & ideo absque negatione legunt. (Cur enim habeat? Ut probatio sit, nihil in caelo opus esse sensu, neque ex parte corporis, neque ex parte animae, quae in eo corpore reperitur. Corpus enim tum impatibile est, neque ab illo noxio pati potest, quod sensu declinare oporteat: tum alimento non indiget, quod sensu duce quaerendum sit. Anima vero sine sensu melius intelligit. Siquidem ea circa vniuersalia semper versatur: & sensus perturbat minusque sinceram intellectionem facit: nugaci vicino similis, inquit Philoponus: qui multum loquitur, ut legentem aut meditantem interpellat. Natura vero nihil frustra & absque necessario usu facit.

Aut caelum quoque sensu praeditum esse opinantur; & cum negatione pronunciant. Cur enim non habeat? Probationemque reliquam duobus deducunt modis. Plutarchus enim ad caelum refert: quoniam neque illius corpori, neque animae melius, id est, nempe carere sensu: imò melius est praeditum eo esse, sentiensque non sentienti praestat. Simplicius verò ad superiorem propositionem, mortalia & caduca animalia non habere intellectum sine sensu: quoniam neque ad animae melius, neque corpori. Nam intellectus ad corpus declinans, & factus corporis actus, ad intelligendum indiget sensu, & ut excitatore, & ut cooperatore; nihilque intelligit sine phantasia. Et corpus non solum intellectu, sed & sensu conseruatur: qui hoc esse noxium ostendit, illud commodum; hoc molestum & iniucundum, illud suauis & iucundum: siquidem haec ad sensum pertinent. Hinc similis conclusio deducitur. Nullum igitur non stabile, sed gressile corpus animam habet sine sensu.

Ego primum vereor magnopere, ne verba illa, quae locum hunc obscurum faciunt (ceterum neque ingentium) expungenda sint: quod non ab Aristotele addita, sed à quopiam primum ad marginem adnotata, deinde ab incauto librario in textum inserta. Certè in quibusdam exemplaribus ea non fuisse testatur Simplicius testatur. Deinde quidquid sit, nullam hic caelestis corporis mentionem esse ostendi. Quippe quod gressile non sit, neque de loco moueatur ad locum: sed stabile potius, dum in eodem semper voluitur loco: sicut & affixa, licet moueantur per partes, stabilia tamen nominantur. Quare generalem propositionem; Nullum corpus gressile, siue genitum sit, siue ingentium, habere posse intellectum sine sensu; ita probo. Quia si quod sensu caret, propterea careret, quod melius id animae aut corpori foret: at neutrum dici potest. Nam anima non melius, imò deterius intelligeret sensu priuata: quoniam intellectum, qui actus existit corporis, manifestum in nobis est sensu ad intelligendum iuari & quasi manu ducti: corpus autem non magis propterea erit, hoc est, non melius à noxijs defenderetur, aut opportunis locupletabitur adiumentis; siue de alimentis, siue de alijs quibusuis externis agatur. Imo verò multo

Intelli-
Etiam sine
sensu non
esse.

Dante

praesertim in humido & sicco, easque consequuntur. Propterea dicitur alimentum tactile corpus esse: corpus quidem; quia nutriendum animal corpus est, corpusque nutritur corpore: tactile autem; quia & tactilibus qualitatibus constat, & illis diiudicatur a sensu; vt conueniens persequi & noxium vitare animalia queant.

Gustatus
quidam
sensus.

Hinc gustatus quoque tactus quidam est, non solum, vt Simplicius credit; quoniam alimentum saporem gustando tactiles item illius qualitates sentiuntur: sic enim adiunctum quidem habet tactum, at is tactus quidam non esset: Verum etiam quod nullo interposito corpore gustetur, immediatèque alimentum imponatur lingua; eodem prorsus modo, quo tactilia tanguntur: estque hic communis sentiendi modus, tum tactui, tum gustatui; & si tactui potissimum tribuatur, quod immediata illa corporum copulatio in rebus quoque non sentientibus nominetur tactus: sed is naturalis est tactus, aut mathematicus; non animalis. Non tamen absolute dixit Philosophus gustatum esse tactum quemdam; sed velut tactum quemdam. Quoniam species aut pars tactus non est; Sed ab eo diuersus planè sensus circa gustabile, diuersum à tactili obiectum, occupatus. Velut tactus tamen; dum eundem habet operandi modum; omni scilicet remoto medio, sensuque tangente sensibile.

Gustatus
vitalis
sensus.

Nam propositio illa (gustatus est alimenti tactilis) non est perse, sed ex accidenti: neque alimentum gustatus obiectum significat, sed finem: vt sententia sit, gustatum esse propter alimentum. Alioqui sensus hic perse est sapidi, alimenti autem ex accidenti; quatenus alimento accidit sapidum esse, aut sapido esse alimentum: & rursum ex accidenti est tactilis; quatenus sapido accidit esse tactile, aut tactili esse sapidum. Quapropter hæc eo spectare videtur, vt non solum tactum, sed gustatum quoque probet animalibus cunctis necessarium esse. Idcirco enim vbi tactum probauit necessarium esse, gustatum subiungit esse tactum quemdam; nempe alimenti, quo animalia cuncta sustentantur & viuunt. Quod conclusio quoque illa confirmat. (Hi ergo animalia necessarii,) tactus inquam & gustatus.

Tactum
& gustatum
in omnibus
animalibus
esse.

Ex qua manifestum est propositum in his illi fuisse non altera ratione, vt Simplicius credit, probare tactum inesse omnibus: sed gustatus quoque necessitatem demonstrare. Sic enim duos hosce necessarios esse concludit. Quippe ambo ad esse conferunt: alter, vt ab externis iniuriis sibi caueant animalia, externaue adiumenta suscipiant, quæ ab alteratricibus & omnino tactilibus qualitatibus abundè proueniunt: alter, vt opportunis alimentis perpetuis corporis effluxus ac dependium restaretur. In platis neuter est. Namque inanimatus planè illarum est tactus. Quod terra nimium sint; neque medietatem habeant ac temperationem, quam is sensus postulat. Quod si tactum non habent; neque gustatum habere possunt. Sed & frustra haberent: quoniam cum immobiles infixæ sint terræ, noxia alimenta vitare aut opportuna persequi non possunt.

TEXTVS.

Αι δε διλλα, ποτε ου ενεκα, εχ γε νει ζων ηδιν, ε τω πω-
ρονη, αλλ ε ποιη, οσον τω πορευτικω αναγκηστικω γεν, ει γε
μελλει σκεψασθαι. ο μόνον δε απροσβουσι αιδυνησσαι, αλλ ε χ
απειδεν. ποτε δε απ ειη, ει δια τω μεταξυ αιδυνηστων ειη, τω
εμεινω μη δεσπο τω αιδυνηστω πω γεν και κινεισθαι, αυτο δ' εσθ
εμεινω. απασες γαρ τω κινειω κατα τωτον μενει τω μεταβλη-
λειν ποιει, εχ τω απων ετρεσθ ποιει, ωστε αιδυνηστω ειη δια με-
σση ε κινησσε, και μη δε τω απρωτων κινειω ωθει ωσθ αιδυνηστω,
πο δε εζωστων μόνον αιδυνηστω εχ απων, τω δε μεσση, αμφοστων
λα δε μεσση.

Aly Verò & propter bene & generi animalium non cuius, sed quibusdam, vt gressili necesse sint: si quidem seruanda sint. Non solum autem tangens sentire, sed & procul.

Hoc autem fuerit, si per medium sentiendi facultatem habuerit: quod illud quidem a sensili patitur & moueatur, ipsum verò ab illo. Quemadmodum enim id, quod loco mouet, mutatione tenus agit; & quod impellit alteri, agit vt impellat: estque motus per medium. Ac primum quidem mouens impellit non impulsim, vltimum autem impellitur solum non impellens, medium verò vtrumque. Multa autem media

Tex. 63

COMMENTARIVS CLXXIV.

Hæc quoque consentaneæ superioribus exponuntur. Philoponus namque, qui diuersas viuentium differētias doceri voluit; cum duo communia omnia omnibus proposita fuerint, quod & mita sint, & tactu prædita: gressilium nunc à non gressilibus differentiam subiungi ait; quod hæc solum habeant tactum, illa ceteros quoque sensus, aspectum, auditum, odoratum. Simplicius verò differētiam potius agnoscit sensuum: quorum aliqui absolute atque omnino necessarii sunt vt animal sit: alij vt bene sit. Nam et si animal quodpiam tribus hisce iam memoratis priuatur, animal tamen erit: viuereque, etsi minus bene & non secundum naturam habeat.

Sensuum
comparatio.

Ego, qui facultatum animæ distributionem proposuisse sibi Philosophum affirmavi, octauam hic propositionem contineri aio: & quidem superioribus pulchrè respondētem. Quemadmodum enim nutritionem principio dixit viuētibus omnibus necessarium esse: at non sensum, sed animalibus solis. Deinde sensum in animalibus cunctis inesse, intellectum verò in aliquo solum animalium genere. Ita de singulis quoque pronuntiauit sensibus: tactum quidem & gustatum animalibus omnibus necessarios esse: at reliquos tres, aspectum, auditum, odoratum, non omnibus, sed soli gressilium generi. Probatio autem est, quoniam hi generis huius animalium salutis necessarii sunt. Etenim non solum proxima & immediatè tangencia alimenta dignoscere aut sumere, sed & remota proculque disita procurare sibi debent: quod non semper, nec vbi que præsto sint: imminetia item incommoda plurima vitare, & commoda quærere necesse

Aspectus
auditum
& odoratum
solum solis
gressilibus
in esse.

DDDDD iij

est, ut illorum vita sustentetur. Verum hæc sine illis sensibus fieri nequeunt: sunt igitur hi eorum salutis necessarii.

Neque criminetur quisquam pugnancia dici, cum principio dicitur hos sensus esse propter bene, hoc est, non ut omnino sint, sed ut bene sint animalia: deinde verò gressilium generi affirmantur esse necessarii, si seruanda sint. Quoniam alterum de vniuerso animalium genere, alterum de vniuerso animalium genere, alterum de gressilibus solis dicitur. Proximè superiora adsciscas verba (sine tactu non potest animal esse) quæ de animali vniuersè dicuntur: huic necessarius est tactus ut animal omnino sit, cæteri necessarii non sunt ut animal sit, sed ut bene sit & perfectum animal sit. Quare subiungitur necessarios eos esse, non cuius animalium generi, hoc est, non animali vniuersè & absolute spectato ut animal est; sed certo generi, quod gressile futurum sit.

Porro quæ sequuntur, (Hoc autem fuerit si per medium &c.) ad explicationem pertinent assumptionis, qua sine illis sensibus, aspectu, auditu, odoratu, haud satis gressilium animalium salutis consultum fore dixit. Non enim satis est si proxima tangendo sentiunt, nisi etiam per intermedium corpus remotiora & distantia obiecta sentiendi vim habeant. Vnde obiter explicat quomodo fiat per medium sensio: nimirum quod intermedium corpus, aer, aut aqua, moueatur primùm à sensili obiecto, deinde à medio moto moueatur animal animalisue sensus. Hæc in secundo libro pluribus fuere tractata. Nunc ex locali motu ad fert exemplum. Quemadmodum enim in hoc quædam sunt, quæ non immediate mouent, sed alio vtuntur velut medio; vt si baculo moueas lapidem: in quibus quidpiam est, quod mouet solùm; aliud, quod mouet & mouetur; ac demum aliud, quod mouetur duntaxat. Manus quippe mouet baculum, baculus mouetur à manu & mouet lapidem, lapis mouetur nec mouet aliud. Ita in sensibus obiectum sensile mouet medium, medium ab obiecto motum mouet sensum, sensus mouetur nec mouet aliud.

Multa autem media, tum in locali motu, tum in sensione esse possunt. In motu locali baculus, virga, lignum quoduis, ferrum, & alia plura: in sensione aer & aqua. Quod duobus modis potest intelligi. Aut quod idem motus, tum localis, tum alterationis & sensionis, per plura possit fieri media: vt si manu moueas baculum, & baculo lignum, lignoque lapidem: & simul per aërem & aquam aspicias. Aut quod modò per vnum, modò per aliud medium fiat motus. Neque erat cur dubitaret Philoponus, num quidam sensus per medium sentiunt, alij verò tangentes: siquidem illi ipsi, qui per medium sentire dicuntur, medium tangunt. Etenim ab illis medium non sentitur, sed sensile obiectum per medium: neque in iis sensile positum supra sensum sentitur, vt in 2. libro dictum est.

Scienter magis duo hinc Simplicius colligit. Alterum, tres hosce sensus, qui per medium sentiunt, reliquis duobus præstare, quod non tantopere à sensibus per cutiantur, minúsque

A passivi sint, dum sensilium motus in medio frangitur, atque hebetior ac debilior ad sensum peruenit. Quò sit, vt sincerum magis & purum sit iudicium sensus, dum à sensilibus minus turbatur. Alterum animalia, quæ per medium quoque sentiendi vim habent, perfectiora illis esse, quæ solo viuunt tactu. Non solùm quod virtutibus pluribus, & verò perfectioribus polleant: sed etiam quòd perfectius illud censetur, quod sponte ac proprio motu atq. appetitu ad suum finem tendit, ipsumque ex pluribus venatur; quàm quod in vno stat loco immobile & finem expectat: fortuitò plerumque occurrentem: neque à corruptentibus ac perniciem molientibus cauere potest, quòd ea non præconoscit antequam accedant & impetum faciant.

TEXTVS.

Ὁ τὸς ἐπ' ἀλλοιώσεις, τὸ δὲ ἐν κινήσει τῶ ἀνθρώπου ἡδονῶν ἀλλοίωσι. οἷον εἰ εἰς κινῆσιν βλάψεται τις, ἢ ἐξ ἑτέρας κινήσεως, τότε ἐλάττω εἶναι τὸ ἀνθρώπου λείπον δὲ εἶδεν, ἀλλ' ὅταν μὲν πρὸς τὸν ὁ δὲ ἀπὸ ἐπιπλοῦν κινήσεως, ἢ ποιεῖ ἢ παύει, καὶ ἀπὸ τῶν εἰς ἢ.

Ita in alteratione. Nisi quòd in eadem manentia loco alterent. Velut si quis ceram presserit, eamque fuerit mora, quousque presserit. Lapis autem nihil; sed aqua ad longam distantiam, & aer ad parvam mouetur; & agit & patitur, si manserit & vnus fuerit.

COMMENTARIVS CLXXV.

Cum localis motus proposuisset exemplum, perinde in alteratione quoque rem habere subiungit. Quoniam sensio alterationi magis, quàm locali motui, similis est: imò alteratio quedam, vt in tex. 51. libri secundi dicebatur. Illud tamen inter alterationem & localem motum interest, quòd in eodem manentia loco alterent. Quæ verba duobus modis accipi possunt. Aut de iis, quæ mouentur: quod in locali motu id, quod mouetur, mutat locum, atque à mouente ex vno in alium locum pellitur; vt vox ipsa localis motus significat. At in alteratione id, quod alteratur, in eodem persistens loco alteratur: quare & in sensione id, quod sentit atque à sensibus mouetur. Aut de mouentibus: quòd ea, quæ alterant, in eodem manentia loco alterent. At in motu locali constat primum mouens mouere non motum; & proximè dixit, primum mouens impellere non impulsum, vltimū autē impelli & non impellere, mediū verò vtrumque mediāq. posse esse multa. Quibus cum statim addatur (nisi quòd in eodem manentia loco alterent) de mediis arbitror esse sermonē, de quibus in presenti agitur,

Dandum

Sensio pro medium ut stat.

Sensuum comparatio.

Gressile animal non pressi per se

Alteratio non est motus localis & alteratio

dum de sensibus, qui per medium à sensibus moventur agitur. In quibus ea ponitur differentia, quod in locali motu non solum movent & moventur, sed etiam mutant locum, in alteratione & vero sensatione moventur quidem & movent, at in eodem manentia loco: mouetur enim & movent alteratione, non locali motu.

Sensilia motus per medium.

Hoc ita esse, aeris & aquae ostendunt exempla, quae sensationum illarum sunt media. Quae dum ad multam distantiam moueri ait, non de locali loquitur motu, sed de intentionali alteratione illa, qua sensilia obiecta transmittunt ad sensus. Nam utraque sanè facultatem hanc habent transmittendi, quatenus ambo perspicua sunt corpora, sonora, & visibilia: magis tamen aer, quia magis perspicuus est, magisque tenuis ac mobilis: & ideo sensilium alterationes facilius suscipit, longiusque transmittit. Huc cerae ac lapidis exempla pertinent. Cera siquidem mollis faciliè & altè impressam figuram suscipit: Lapis durus nullo modo. Aer & aqua sunt velut cera, terra & solida opacaque corpora velut lapis, incepta prorsus alterationis huiusce media. Quare ut cera impressas figuras promptè suscipit, eoque altius, quo aut ipsa fuerit mollior aut fortius imprælleris: sic aer & aqua sensilium motum: eoque transmittunt longius quo aut tenuius & magis mobile medium aut vehementius & validius sensile. Itaque lapis nihil omnino imprimitur nec formas suscipit: cera paulò magis, aqua magis multò quam cera, aer maximè omnium tum patitur ab obiecto tum agit in sensum transmittendo sensilia.

Si modo manserit & vnus fuerit, hoc est, non diuisus aut interruptus, siue interposito vacuo, siue potius corpore quopiam duro & opaco, quod traiectionem prohibeat. Aut etiam ab alio & inaequali corpore in plures partes comminutus: contra quam in planis ac laeuis eueniat, in quibus aer, ut magis vnus est & continuus, ita melius sensilia traiecit. Quod postremum verba illa indicant (In leui autem est vnus.) Videnturque haec respicere illa, quae in 2. libro tex. præsertim dicitur de sono dicebantur, aerem mouere auditum, cum illius motus continuus fuerit & vnus: hocque in planis & laeuis corporibus euenire.

TEXTVS.

Διὸ καὶ περὶ ἀλλήλων θέλει ποιεῖν, ἢ τὴν ἐξ αὐτῶν ἀλλήλων, πάλαια παρὰ τὸν χρόνον, ἢ τὸ ἰσχυρότερον, μερῶν ἢ αὐτῶν ἢ ἐπιπέδου τῶν ἰσχυρῶν. Διὸ τὸ πάλαι καὶ ἴσους τῶν ἐπιπέδων, ὅσους αὐτῶν τὸ ἐπιπέδον ἰσχυρῶν σημαίνει διὰ τὸ μερῶν τῶν ἰσχυρῶν.

Quocirca de reflexione melius, quam aspectum egredientem reuerberari aerem pari a colore vel figura, quousque vnus fuerit. In leui autem est vnus. Quare rursum hic aspectum mouet: quemadmodum si in cera signum vsque ad extremum traieciatur.

COMMENTARIVS CLXXVI.

PLATONEM in his videtur perstringere, aut alios quosvis, qui radiorum aut lucis aut altius cuiuspiam ab oculo emissionem dixerant aspectum fieri. Sed obscuriora sunt verba, & quasi perturbata oratio: quae ita iuuanda fuerit. Quocirca de reflexione, qua nonnulli aspectum constare autumant, melius est dicere, aerem a colore vel figura pati, quam aspectum ab oculo egredientem ad nos ab obiecto retorqueri, illudque nobis representare. Diximus hac de re satis, vbi de aspectu agimus. Omnino namque medium ab obiecto affectum speciem illius vsque ad oculum traiecit, modò vnus permaneat & non interruptatur: quemadmodum si mollior cera impressum signum ad extremum vsque suscipiat. Sic enim abique cuiuspiam egressu & regressu iussio perficitur, immutato vsque ad oculum medio & obiecto ad sensum quoquo modo traiecto.

Visionem emissionem non fieri.

Itaque quod de reflexione dicitur, non ita est accipiendum, quasi de visione reflexa dicatur, ut credit S. Thomas. Quorsum id enim, dum solum consideratur quo modo media traiciant ad sensum obiectorum motus? Sed reflexionem ait, non quam ipse in aspectu consideraret, sed quam assererent illi, qui aspectum emissionem fieri assererant. Sensationem autem duntaxat rectam considerari constat, dum aerem a colore pati, eumque rursum mouere vsque ad aspectum: sicut si cera ad vltimum vsque impressum anulò signum traiciat.

TEXTVS.

Ὅτι δ' ἐξ ὁρίων ἀπὸ τῶν ζῴων σῶμα εἶναι, κατὰ τὸν λόγον δὲ ὅτι πένοντο, ἢ ἀέρον. ἀλλ' οὐδὲ γὰρ ἀπὸ τοῦ ἀλλήλων αἰσθητῶν ἐδιδόχαι ἔχουσιν. τὸ γὰρ σῶμα ἀπικτὸν τὸ ἐπιπέδον πάλαι ὅσους εἶχεται.

Quod autem non possibile, simplex animalis corpus esse manifestum. Dico autem velut igneum aut aereum. Etenim sine tactu nullam alium sensum contingit habere. Quoniam tactuum omne corpus animatum, sicut dictum est.

Text. 86.

COMMENTARIVS CLXXVII.

VERè hic Simplicius manifestè, inquit, in ipsa propositione intentionem sibi propositam Philosophus ostendit. Nullum enim animalis corpus esse simplex ostendit. Ac celesti quidem corpore prætermisso, quod de mortalibus duntaxat agat: eorumque ut animam, sic corpus in hisce libris consideret. mortaliaque hæc animalium corpora perspicuum erat ex celesti & immortalis: celorum substantia non constare: Non esse corpus elementate demonstrat. At quorsum id? Ad Platonicos hæc pertinere putat Sanctus Thomas, qui aërea quedam possuerant animalia: Quod verisimile non videtur. Græcique interpretes ut absolutam disputationem accipiunt,

DDDDDD inij

In elem-
tu ambu
qualite
tes sum.

funt igitur omnes temperata & cum contrariis suis permixta. Quo loco (vt obiter dicam) videtur accipi qualitates ambas in elementis ad summum esse intentas: qua de re in posteriori libro de ortu & interitu disputatur.

Partes
omnes no
sentire.

Altera probatio ex sensu ducitur & experientia. Perpicuum enim est, tum partes animalis omnes quaecunque sunt magis tetrae, vt ossa, pilos, & si quae sunt aliae his similes, & si tangantur, non sentire: tum vero plantas eandem ob causam, quod tetrae nimis sunt, omni sensu priuari: multo igitur minus sola & simplex terra instrumentum tactus esse potest. Videtur enim argumentum esse a maiori ad minus; ab iis, quae permixta esse creduntur, pauloque magis abundant terra, ad purum & sincerum elementum. Atqui sine tactu nullus alius constare sensus potest. si igitur nec terra nec simplex vllum elementum potest esse tactus instrumentum; nec omnino fuerit vllius sensus. Quare cum animal sine sensu non sit, nec potest animalis corpus elementum simplex esse. Ceterum posteriori hoc argumento alibi etiam non semel vsus est: de partibus quidem corporis magis terreis in text. 79. lib. 1. de plantis vero in text. 124. lib. 2. & non multo ante in text. 60. huius tertij

TEXTVS.

φανερὸν τοῦτο ἐστὶν ἀνάγκη μόνως ταῦτες στεροῦσθαι τὸ αἰσθητικὸν τῶ ζῶα ὑποθήσασθαι. ἔτι γὰρ ταῦτω ἔχει οἷον ἔστι μὴ ζῶον, ἔτι ζῶον δὲ, ἀλλὰ ἔχει ἀνάγκη πλεον ταῦτες: καὶ διὰ τὸ πλεον μὴ ἀλλὰ αἰσθητικὸν τῶ σαρκοῦ καὶ διαστρέφει τὸ ζῶον, οἷον γὰρ ἔστι, καὶ ἄλλοι, ἀλλὰ μόνον τὸ αἰσθητικόν, αἰ μὴ ἢ κατὰ συμβεβηκός, οἷον αἰ ἄμα τῶ ἄλλο ὄντι γίνονται καὶ πληρῆ, καὶ ὅσοι ἔσονται καὶ ὅσοις ἔτι καὶ κινεῖται: ἀ τὴ ἀπὸ φθείρει καὶ ὄχι μόνος δὲ, ἢ ἄμα συμβαίνει ἀπὸ τῶν εἶναι, ταῦτη φθείρει: ἢ δὲ τὸ ἀπὸν σαρκοῦ, οἷον σαρμὸν καὶ ψυχρὸν, καὶ σαρκοῦ, αἰσθεῖται τὸ ζῶον: πάντες μὲν γὰρ αἰσθητικὸν σαρκοῦ αἰσθεῖται τὸ αἰσθητικόν, ὅσοι καὶ ἀπὸν τῶν ἄλλων, ταῦτη δὲ αἰσθεῖται τὸ ζῶον. αἰεὶ γὰρ ἀπὸς δὲ δεικται ἐπὶ ἀδωστοῦ εἶναι τὸ ζῶον, διὰ ἢ τῶν ἀπὸν σαρκοῦ ἢ μόνον τὸ αἰσθητικὸν φθείρει, ἀλλὰ καὶ τὸ ζῶον, ἐπὶ ἀνάγκη μόνον ἔχει ταῦτες τὸ ζῶα.

Text. 67.

Manifestum igitur quod necesse hoc solo priuata animalia mori. Neque enim hoc habere possibile non animal, neque animal existens alium habere necesse prater hunc. Et propter hoc alia quidem sensilia excessibus non perdunt animal, velut color, & sonus, & odor: sed sensoria solum, nisi ex accedenti sit. Quomodo cum si simul cum sono impulsio fiat aut percussio: & ab aspectabilibus & odore mouentur alia, quae tactu perdunt. Sapor autem, quatenus simul accidit tactile esse, casenus perdit. Tactilium vero excessus, vt calidorum, &

Text. 68.

frigidorum, & durorum, disperdit animal. Quoniam sensilis omnino excessus disperdit sensorium. Quare & tactile tactum. Hoc namque definitum est viuere. Et enim sine tactu ostensum est non posse animal esse. Quapropter tactilium excessus non solum sensorium perdit, sed & animal: quoniam necesse hunc solum habere animalia.

COMMENTARIVS CLXXX.

PHILOPONVS & S. Thomas in his, quae nunc dicuntur, actum agere mihi quidem certe videntur: dum Sanctus quidem Thomas Philo- phum ait concludere quomodo sensus in anima- libus habeant. Quid enim aliud in superioribus egit? Et quid opus erat repetere: Philoponus autem quinquae argumentis probare tactum ani- malibus cunctis inesse. Primo quoniam alio quocumque sensu priuentur animalia, viuunt: at si priuentur tactu, priuantur vita: Secundo ver- bis illis (neque animal existens alium habere ne- cesse prater hunc) animal sensu definitur, & cum sensu recipiatur, sensitiuum autem secundum tactum dicitur: Tertio & Quarto illis (& propter hoc alia quidem sensilia excessibus) tactus est in toto corpore, ceteri sensus in vna determinata parte. Rursum tactilia si excesserint, totum cor- pus perdunt, quia tactus est in toto corpore, re- liquorum sensilium excessus illud solum senso- rium destruit, ad quod pertinent, tactus igitur magis est sensibus ceteris necessarius. Quinto il- lis (quoniam necesse hunc solum habere anima- lia) solum tactus animalibus confert vt sint, ceteri vt bene sint: his igitur solum est omnibus necessa- rius.

C

Verum, vt mittam satis iam necessitatem tactus fuisse probatam, principium illud orationis (Ma- nifestum igitur) non est hominis proponentis aliquid probandum, aut alicuius probationem aggredientis, aut inchoatam profectus: sed ex probatione facta colligentis quidpiam: Ex eo autem, quod tactum animalibus cunctis inesse oportere monstrauit, duo prorsus colligit. Alce- rum, si vel solum hic sensus percat, interire illico & mori animal. Nam si satis euident ratione probatum est necessarium eum esse, adesseque oportere vt possit animal sit, neque sine illo animal vllum esse posse: cōsequens etiam necessarium est, eo interempto interim animal. Itaque recipiatur hic sensus cum animal, eoque posito ponitur, & ablato aufertur animal. Si tactum habet, est animal: si tactu priuatum est, animal non est. Non eadem est ceterorum sensuum conditio: quoniam illi necessarii vbique & animal v animal est non sunt: quare & animal est, quod illis caret; & priuari eis potest, animalisque adhuc naturam retinere. Quare licet in illis affirmando argumentari: ad sunt hi sensus, ergo est animal: at non propterea est animal, quod illi adfunt; sed quod si adfunt illi, adest & tactus, per quem pri- mum est animal: Non tamen negando: Non ad- funt illi, ergo animal non est: quoniam sine illis adesse potest tactus, qui animali sufficiens est.

D

Alterum, tactilium duntaxat, non item alio- rum sensilium, immoderatos excessus interitum animali adferre. Immoderatum quippe lumen aut color disperdunt oculum, & nimius sonus membranam auris, vehementiorque odor organum odorandi: at animalia mortem non adferunt, quoniam determinatae partis, non totius corpo- ris, temperationem dissolunt. Nisi id fortasse ex accedenti eueniat interdum: propter aliquid aliud cum sensilibus illis cōiunctum, quod ad tactum

Tactum animalibus cunctis inesse.

Tactum per se mori animal.

Tactilium solum excessum interire animal.

Dardanus

perineat. Vehementes namque soni & fragores vehementiorem habent impulsium & percussionem, quae ad tactum spectant. Ita tonitru peremptum aliquando aiunt fuisse animal: propter nimiam spiritus & aëris concussionem. Fœtidisque halitibus atque odoribus noxiae & hostiles adiunguntur qualitates tactiles, quae putredinem inducunt, putredoque tactum afficit. Aspectabilia verò aut pessimas qualitates tactiles exitialesque halitus immittunt, vt de oculis Basilici fertur, aut timorem inducunt nimium refrigerantem. Gustabilia demum (præterquam quòd elici possent gustatum esse quemdam tactum) non quatenus eiusmodi sunt, sed vt tactilibus prædita qualitatibus: alioqui vt gustabilia sunt, solam afficiunt dissoluuntque linguam. At verò tactilium excessus totum animal per se disperdit. Nam vt se habent sensilia cætera ad proprium illorum sensuum sensorium, quorum obiectum sunt; ita & ad sensorium tactus tactilia, perindeque hoc à tactilibus, atque à sensilibus cæteris illa dissoluitur. At sensorium tactus per vniuersum corpus dispersum est: vt igitur cætera proprium cuiusque sensus sensorium disperdunt, sic tactilia totum interinunt animal, dum organum dissolunt tactus. Animal siquidem tactu definitum est animal esse, neque sine tactu esse posse.

TEXTVS.

Tὰς δὲ ἄλλας αἰσθήσεις ἔχει τὸ ζῷον, ὡσαύτως εἰρηται, ἢ τὸ εἶναι ἔντονον, ἀλλὰ τὸ τὸ ζῷον ἔχει τὸν ἀέρα καὶ τὸν ὕδατι ἔσσης ὄρα. ἄλλος δ' ἐπι τὸ διαφανέει, γὰρ τὸ δὲ τὸ ἴδον καὶ κινεῖται, ἢ τὸ αἰσθάνεσθαι τὸ ἐν τῷ ὄρα καὶ τῷ κινεῖται, ἢ τὸ αἰσθάνεσθαι τὸ ἐν τῷ ὄρα καὶ τῷ κινεῖται, ἢ τὸ αἰσθάνεσθαι τὸ ἐν τῷ ὄρα καὶ τῷ κινεῖται, ἢ τὸ αἰσθάνεσθαι τὸ ἐν τῷ ὄρα καὶ τῷ κινεῖται.

Alios verò sensus habet animal, vt dictum est, non propterea vt sit, sed vt bene, velut aspectum. Siquidem in aëre & aqua vt videat. omnino autem in perspicuo. Gustatum verò propter suauitatem & molestiam, vt quod in alimento sentiat, & appetat, & moueat. Auditum autem, vt aliquid ei significet. Linguam verò, vt alteri quidpiam significet.

COMMENTARIVS CLXXXI.

Postremò dixerat tactilium excessus animal toti adferre interitum: quoniam hic sensus necessarius animali est, vt animal sit: proptereaque illo extincto simul extingui animal. Non ita in cæteris sensibus euenire: sed illorum duntaxat sensorium à sensilium excessibus dissolui, animalque nihilominus permanere. Diuersitatis huius causam nunc adiungit. Ea verò est: quàm antea etiam exposuit in text. 64. quoniam tactus omnino necessarius est vt animal sit: cæteri non vt sit, sed vt bene sit: ideo pereuntibus hisce adhuc animal esse potest: non item pereunte tactu: neque illorum interitus tam est interitus esse, quàm bene esse, interitus verò tactus est interitus ipsius esse. Quod in superioribus diximus, & nunc Simplicius repetit de animali vniuersè vt animal est intelligendum esse: non de animali perfecto & gressili. Nam huic quatenus eiusmo-

Sensuum comparatio.

A di est, illi quoque sensus necessarij sunt, vt ad commoda profectenda, vitandaque incommoda moueantur. Porro de singulis Philosophus loquitur. Aspectus animalibus tributus est, non vt animalia sunt, alioqui vniuerso animalium generi tribui debuisset: sed vt per aërem & aquam aliudve perspicuum: siue simplex, vt caeleste corpus ex text. 63. lib. 2. siue mistum, vt cristallus, & solidorum multa, quemadmodum in eodem loco dicitur, cernere valeat. Hoc autem ad gressilia pertinet, vt obiectis visis progrediantur ad illa aut ab illis declinent, quò diutius sint, longiorique tempore viuunt & consequuntur: quòd est illud bene esse, quòd ait Philosophus. Alioqui foret animal, et si ad vnam horam vel breuiori tempore viueret. Odoratum, aut prætermisit, quòd simile de illo poterat esse iudicium: aut cum gustatu coniunxit: tum quia odoratus quoque in bestijs præsertim, ad alimentum pertinet, odoratumque ad alimentum remotum trahuntur, atque ex odore diiudicant. Tum quia in text. 93. lib. 2. dictum iam fuerat odoratum gustatum analogum esse, & odorum item species saporum speciebus proportionem respondere. Tum verò quia in text. 91. hominem dixerat sine molesto & iucundo nihil odorati: quare gustatum nunc inquires propter suauitatem & molestiam datum esse, simul de vtroque quoquo modo dixit. Suauitas enim & molestia tum in saporibus tum in odoribus sentitur: illa ad gustatum spectat, hæc ad odoratum, vt duplici quasi argumento alimenta dignoscant animal, & duplici stimulo incitetur ad illa.

B At enim si in superioribus dictum est gustatum animalibus cunctis necessarium esse, quomodo nunc inter eos pumeratur, qui necessarij, nò sunt neque adesse pertinent, sed ad bene esse? Simplicio vtrumque videtur bene dici, quoniam ad hoc confert, vt animal magis duret, longiorique tempore viuat: sed non ad esse simpliciter. Nutrimtum enim non facit vt animal sit, sed vt multo tempore sit: quatenus verò confert ad esse simpliciter, tactus quidam est. Huncque locum explicabit text. 8. lib. 2. Nam propterea dicebantur animalia omnia sensum habere nutrimenti, quoniam tactus est nutrimenti sensus: sicci & humidis, calidis & frigidis nutriuntur omnia, & horum appetitiones fames & sitis sunt. Saporem autem, qui per se ad gustatum vt gustatus est pertinet, nutrimenti condimentum esse: vt tum illius suauitate allecta libenter & sine molestia ad nutrimentum accederent: tum vt suauis & molesto diiudicarent ea, quæ ad vitam multo tempore progandam opportuna forent vel importuna.

C In auditu & lingua (vtrumque enim coniunctæ sint: & qui loquitur, audienti loquitur: audientisque loquentem audit, & omnino auditio & sonatio simul sunt) hætere videtur Philoponus: quoniam hæc irrationalibus conuenire non videntur. Quippe significatio vocum est & sermonis: quæ hominis propria sunt. Sapienter tamen de auditu respondet, aliquam irrationalibus quoque significationem conuenire: siue quod fetuum suorum audientia sonos, quibus si non mentis notionem, at certe affectus significantur, curam illorum gerant: siue quod humana ma-

Gustatum vt omnibus necessarium.

Vocum significatio vt ad bestias pertinet.

Lingua
refus du-
plex.

fuescant & gubernentur voce. Quod verò de lingua dicitur, irrationalium non esse, sed solius hominis. Neque enim linguam irrationalia habent ad significandum aliquid, sed ad gustandum duntaxat. Sanè in tex. 88. lib. 2. duplex linguæ exponitur vsus, alter ad gustandum, alter ad loquendum; ille animalibus cunctis communis, hic solius hominis; ille necessitatis, hic commoditatis, & vt benè sit nobis. Vtrumque hoc etiam loco Philosophus complecti voluit: priorem, vbi de gustatu dixit: gustatus enim instrumentum est lingua: etsi alimenti gustatus duplex est, vnus vt alimentum est tactile, & gustatus quidam tactus: alter vt alimentum est lapidum & gustatus sensus à tactu distinctus. Ille in priori loco necessarius esse affirmatur, hic verò in hoc posteriori non necessitatis, sed vt benè sit animali. Posteriori autem vbi linguam subiunxit esse, vt alteri quidpiam significet. Quod hominis quidem videtur proprium: siquidem lingua non formandæ

Lingua
articu-

A vocis, sed articulandæ atque in syllabas & distinctiones distinguendæ instrumentū est. Quoquo tamen modo cæteris quoque animalibus conuenit: quatenus ad inflexionem ac modulationem vocis non parum confert: vt in auicularum cantu perspicuum satis est. Ita Philosophi tota constat sententia.

Atque hic vt Aristotelicæ orationis, sic nostrorum commentariorum finis esto. In quibus si illud assequuti sumus: vt veram atque germanam Philosophi sententiam Peripateticæ Philosophiæ studiosis planam & apertam faceremus, subtilioresque quæstiones non nisi sobriè & quatenus ad primarium scopum videretur necessarium attingeremus: est quod & illis & nobis non parùm gratulemur: sin minus, fore certè speramus, vt studium illis nostrum atque conatus non improbetur.

LIBRI TERTII FINIS.

